



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Dura & pia Mater.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

§. II.

*Interiores capitis partes.**Dura & pia Mater.*

Ablato cranio in conspectum veniunt partes capitis interiores: primum quidem apparent duæ membranæ peracuti admodum sensûs, quas Græci *Meninges*, Arabes *Matres* appellârunt. Ea, quæ est cranio proxima, propter suæ substantiæ crassitiem dura meninx & dura mater appellatur: facta dicitur non modò ad cerebri, medullæ & nervorum tutelam, sed etiam ut cerebrum in duas partes, & à cerebello distinguat: plurimis foraminibus pervia est ad vasorum transitum, atque etiam ad medullæ descensum; ea autem ex parte, quâ adhæret ossi *ethmoidi* seu cribriformi, instar cribri perforata est. Duplicem habet motum dura meninx, *systoles* scilicet, & *diastoles*: motus *systoles* non oritur à motu cerebri, ut perperam arbitrati sunt multi; sed oritur à motu artiarum penè innumerarum, quibus scatet, tum etiam à motu quatuor veluti fluminum, seu majorum canalium, qui sinus appellantur, & qui pulsum artiarum imitantur, vehuntque sanguinem velut artiarum: in hos sinus exonerant sese vasa circumposita, tanquam rivuli in alta flumina. Ubi nota, illud interesse discrimen inter homines & pecudes, quòd in pecudibus, quibus primum est in terram caput, vasa in sinus influentia à parte anteriori in posteriorem procedant, in homine à posteriori in anteriorem: ex quo fit, ut pecudes vix unquam sanguinem naribus emittant, homines verò sæpiùs.

Alteram membranam cerebro proxima tenuior est, & delicatior, unde tenuis meninx, vulgò pia mater nuncupatur; tam exquisito sensu prædita est, quàm quod maximè: vocatur etiam nonnunquam *Coroides*. Una est Medicorum & Physicorum sententia, omnes fermè capitis dolores ab illis duabus meningibus oriri. Dura mater separat dextram partem cerebri à sinistra in modum falcis mesoriæ, separat etiam cerebellum à cerebro. Pia mater totum cerebrum immediate amplectitur, & ad instar bonæ ac piæ matris sinu suo molliter fovet. Hæc meninx intexitur copiosis ac mirabilibus vasculorum plexibus, seu reticulis, oriundis tum à venis jugularibus, tum à cervicalibus ac *carotidibus* arteriis, per quas copiosus sanguis undequaque cerebro affunditur, quæ sanguinis copia necessaria est ad confectioem spirituum animalium, & ad cerebri ipsius nutritionem: hæc pia mater innumeris constat glandulis.

Cerebrum & Cerebellum.

Sublatis omnibus cerebri involucris devenitur tandem ad ipsius substantiam: quæ singularis est: cerebrum enim organum est generale, cujus ope sensuum omnium, tum internorum, tum externorum functiones peraguntur. Ejus magnitudo pro ratione corporis longè insignior est in homine, quàm in aliis animalibus: imò cerebrum hominis juxta observationem Recentioris Philosophi duplo pondere cerebrum bovis superat, cum in homine sit 4. aut 5. librarum, in bove 2. aut trium.

Cerebri substantia heterogenea est, & vulgò duplex esse statuitur: alia est exterior, quæ corticalis; alia interior, quæ medullaris appellatur. Corticalis cinerea est, medullaris est alba: in extrema illa cinerea parte, seu cerebri cortice